

ubi quoi decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare, 965
 abii ad proxumum tibi quī erat ; ēī commisi et credidi :
 ibi tuae stultitiae semper erīt praesidium, Clitipho,
 15 victu' vestitus quo in tectum te receptes. *CL.* ei mihi !

CH. satius est quam te ipso herede haec possidere Bac-
 chidem.

SY. disperii : scelestu' quantas turbas concivi insciens ! 970

CL. emori cupio. *CH.* priu' quaeso disce quid sit vivere.
 ubi scies, si displicebit vita, tūm īstoc utitor.

20 *SY.* ere, licetne ? *CH.* loquere. *SY.* at tuto. *CH.* lo-
 quere. *SY.* quaē īstast pravitas
 quaeve amentiast, quod peccavi ego, id obesse huic ? *CH.*
 ilicit.

ne te admisce : nemo accusat, Syre, te : nec tu aram tibi 975
 nec precatorem pararis. *SY.* quid agi' ? *CH.* nil suscenseo
 neque tibi nec tibi ; nec vos est aequom quod facio mihi.—

CLITIPHO SYRVS

25 *SY.* Abiit ? vah, rogasse vellem . . . *CL.* quīd ? *SY.* und'
 mihi peterem cibum :
 ita nos alienavit. tibi iam esse ad sororem intellego.

CL. adeon rem redi*(i)*sse ut periculum etiam a fame mihi sit, 980
 Syre !

SY. modo liceat vivere, est spes . . . *CL.* quae ? *SY.* nos
 esurituros satis.